

187
· BELLARIA POETICA
in Hortis Pieridum collecta,
Et Nuptiis auspiciatissimis
Nobilissimi & Consultissimi

VIRI,

DN. JOHANNIS

*Q*üthen/

Judicii Palæopolit. Thorun.

Assessoris Dignissimi,

SPO NSI,

itemque

Nobiliss. & sui sexûs Virtutibus Ornatissimæ Fœminæ,

DOMINÆ

EUPHROSYNÆ

natalibus TROJANÆ,

post fata

Nobilissimi & Amplissimi VIRI,

DN. FRIDERICI *R*isop/

Consulis Thorun. Gravissimi,

relictæ Viduæ,

SPO NSÆ,

A. 1694. d. 12. Octobris celebratis

Professoribus & Visitoribus
OBLATA.

THORUNII, Imprimebat Johannes Balthasar Breslers



Multiplīces mirāq; Viæ sunt Omnipotentis,

Per quas hoc patulo ducit in Orbe
pios. (pheta,

Id quod veridicus celebrat Rex atq; Pro-
Miratus summi facta stupenda Dei.

Sic etiam ducit Te, felicissime SPONSE,
Dextra Dei, vitam dirigit illa tuam.

Sacrorum Studiosus eras ex asse Librorum,
Et de suggestu dogmata dia dabas.

Mutato hinc Studio, Venerandi Juris alumnus
Factus es, Astrææ Justitiæq; comes.

Pòst Thorunensis sis Secretarius Urbis,
Consensu Patriæ consilioq; Patrum.

Officio hoc celebri bene multis functus ab annis,
Nunc in Scabinis nomina clara geris.

Cunctarum justus Causarum Censor, amicus
Arbiter innocui præsidiumq; rei.

Omnib; hisce Bonis præstanti corpore SPONSAM
Addidit Omnipotens ætheris arce, Tibi.


Connubio junxit stabili, propriamq; dicavit,
Omnes ut tecum transigat illa dies,

Et

Et pulchrâ pulchrum faciat Te prole Parentem.
Sitq; tuæ semper firma Columna Domûs.
Tam faustam sortem Tibi gratulor, Optime Fautor,
Ex animo, & Thalamo prospera cuncta precor.
Vivite concordés, & terq; quaterq; beati,
Donec in his terris vita superstes erit.

*Ita gratulabundus Lætiſſimis Sponſis
applaudebat*

Wenceslaus Johannides, Gymn.
Thorun. P. P. & Viſitator.



Ad Nobiliſſimum Dn. SPONSUM.

S*I voto thalami beatitatem
Procurare licet, quis auspiciatos
Successus thalami tui negabit?
Cui se dant comites & hinc & inde
Tot plausus, pia vota tot bonorum.
Sic est. Et recipit pios precatus,
Et, quæ-prospira-cunqve postulantur,
Largitur facili Jehova mente.
Hac spe, quod varii tibi tuæqve
Prompto carmine maximeqve docto,
Hinc atqve inde tulere grande votum;
Paucis & rudibus fero phaleucis.
Hos si, quod petimus, Dei favore
Firmatos videas, quis auspiciatos
Successus thalami tibi negabit?*

*Officii contest. c.
scr. gratulab.*

M. Johannes Sartorius.

Et


Qui festas ornant tædas, Hymenemque salutant,
vel cum lætitia vota secunda vovent.
Hi non unifona celebrant hymenæia mente,
non ætate pari sacra marita colunt.
Dum florent anni, mollis mentumque capillus
ambit, bis vel ter barba resecta fuit:
Tum sibi despondent teneras castasque maritas,
& quærunto focii fœdera sancta tori.
Sunt alii, quos firma iuvat constantius ætas
præbere eximio colla iuganda iugo.
Quosdam decrepitem senium ac incurva senectus
sub Veneris castæ vincula casta rapit.
Huic placet egregiis uxor virtutibus aucta;
illi fortunæ menere grata venit.
Hic ducit Patriæ nutritam lacte, sed alter
ex alio Sponsam gestit adesse solo.
Attamen ad similem tendunt metamque scopumque;
omnes, si cœptis aura polusque favent.
Non fingunt sibi conjugium thalamosque facesque;
Sed quas accendit gratia summa DEI
Felix, qui thalami casti socialia iura
cum Domini nutu subsidioque parat;
Felices tædas *Sponsi*, felicia vincla,
queis lateri *Sponsam* copulat ipse suo.
Sponsam, quam virtus, pietas, candorque modestus
morum depingit, laudat in ore decor,
Inter fœmineos longe pulcherrima cœtus
nunc venit in thalamum, LÜDTKIE CLARE tuum,
Ergo Tibi fundant socialia carmina Musæ,
accensoque piæ lampades igne micent

Donec

Donec erit nomen Sponsi Sponsæque colendum:
fortunæ culmus floreat usque tuæ.

*Nuptiales radas Nobil. Dni. Sponsi & Nobil.
Dna. Sponse condecorare debuit*

M. Martinus Böhmi.



S At rostris, Themidique datum est,
AMPLISSIME LVTKI!

Publica linque pepula,

Dicæque dic silentium:

Idalioque foro novum te siste maritum,

Nec tua Cæsareæ

Leges morentur commoda.

Causa tori potior: fas expectare Maritam:

Hoc quoque iuris opus,

Nuptæ suum ius tradere.

Scilicet, Instituis Sponsam, Digestaque formas

Mollia, quæ Charitum

Cupido præses approbat.

Pandectæ sordent veteres, at iura Novella,

Quæ dat amica Venus

Nuptis Prusiacis, placent.

Codice neglecto, tabulas versatis amorum;

Milleque mox tituli

Ex mille basis fluunt.

Lex amor est, lex iuncta fides, lex cura nepotum,

Religioque tori,

Et lex labor domesticus.

Adspice, subridens tali, EUPHROSYNA, magistro,

Audet & ipsa sui

Causam tueri masculine.

Nam precium dictæ non sunt sestertia causæ,

Sed precium thalami

Totus maritus obvenit.

Et rea dicta licet, tamen haut convicta recedit,

Jure sed urget opus,

Et obtinet licentiam,

Ut vivum, sic docta, queat proferre mariti

Arbitrio specimen

Uxoriam innocentiam.


Acta probant Themis atque Venus, finemque cupitum

Debitus expediet

Legalis horæ terminus.

*Auspiciatissimis nuptiis
iure lubensque adiecit*

P. PATER.



DElegisse juvat quod ames, nam fallitur omnis,
Qui quærens Sociam, non oculatus erit.

Cæcus amor quod fit, veteres scripsere Poëtæ,

Scribimus his annis: *Esto oculatus Amor.*

Cæci fixerunt Vates sine lumine Amorem,

Esse tamen debet lumine plenus Amor.

Esse decet talem: non omnis fœmina mores

Fert puros, nec idem est omnibus ingenium.

Ista pia est; sed in hac nulla est pietatis imago,

Hæc solers; lenta est ista, remissa, focors.

Anno-

Annosi illa fugit stillantia musta Lyæi,
Hæc stertens, vigilans, vina jocosa sitit.
Illa cui affundit DEUS aurum, mente ferocit,
Atq; thori Socium mittit in obsequium.
Armenias Tygrides & fulvas ista lænas
Vincit, & in Dominum pectora dira gerit.
Hæc sequitur, fugit illa Virum, si fortè sequatur
Vir, fugit incerto nec manet illa loco.
Si Vir lætetur, spargit mala semina litis,
Ista, Virum torquens murmure cruda fero.
Nec capiant quænvam pendentia brachia collo,
Hac mulier dominum decipit arte suum.
Quæ mea mens de Te, Sponsa ô generosior? in quam
Classem Te referam, quoque locabo loco.
Tristis Aristrachus quàm possem jure vocari,
Auderet si Te vellere penna levis.
Dicere vera tamen poterit prohibere volentem
Nullus, nec legem scribere jure potest.
In Te resplendet nivæ Pietatis imago,
Tu regis eximiè Teque tuamq; domum.
Pactolus quamvis fulvas Tibi portet arenas
Sarmatiæ, est mitis mensq; animusq; Tibi.
Nil ad te Cyathi, nil ad Te vasa falerni,
Sobria vita tua est, inclyta fama tua est.
Nota tua est pariter Concordia firma, fidesque,
Qua fueras primo confociata Viro.
Spiritus unus erat, fuerunt sed corpora bina,
Atq; alter vixit corpore in alterius.
Has retine dotes, decorent hæc munera Sponsi,
Conjugium, illius sic benè vota cadent.

At

At Tu quisquis is es, cui non sunt ferrea corda,
Dic, valeat Sponsus, Sponsaq; chara simul.
Vincula solvantur nunquam, dum lenta senectus
Inducet rugas, pectore vivat amor.
Adfis Juno novis thalamis, prolemq; ministros,
Ludat ut ad limen turba pusilla domus.

Sociali fœdere punctis inscripsit

Johannes Rezik, P.P.



juw 43178